

1380 netas naves impetum fecisset, ut injecto certamine, tantisper Venetum præstanti pugna occupatum teneret, dum illi obicem rescidissent. Sed rem utrobique parum sæliciter motam. Nam & qui erumpere conati erant, quique extra impressionem dederant, bellicis tormentis omnifariamque telorum generibus afflicti, turpiter cessere. Ligur suorum clade affectus ad solitam stationem se recepit: qui in urbe erant, quum neque se neque suos quicquam amplius proficere posse cernerent, captivis vincula adimunt: adductosque ad portam in castra emittunt; vulgo creditum est, id eos fecisse, ne si fame illi consumpti essent, ipsi quoque postea ubi in hostium potestatem venissent, simili pœna plecterentur. Inde novam viam ad salutem ingressi, legatos ad ductores armorum qui in Zenicis castris erant, mittunt, qui omne Genuensium aurum, argentum, arma, cum ipsa urbe militi dederent: verum ea conditione, ut tutos se ab injuria Venetorum ad suos dimitterent. Moverat omnium animos ea deditiois forma: quod ipsum Zenus aversatus, rem ad Principem continuo per internuncium defert. Mittitur itaque a navibus in castra Petrus Hemus, Principis consiliarius. Etenim præter multa quæ ejusmodi deditioe adimebantur, apparebat insignem contumeliam Venetum inde accepturum, si Genuensis perpetuus hostis tanto periculo & labore domitus, incolumis e manibus mitteretur. Hemi igitur consilio ad id decursum, ut urbs militi diripienda daretur, quique stipendium facerent, illius captivi essent: Genuenses, Patavini, Carni, Dalmatæ, ac Græci remo magis quam armis idonei, cum ipsa urbe, Venetorum. His conditionibus ad officium revocati ductores, in Zeni verba jurarunt, nullas se amplius Genuensium condiciones accepturos: non legatos, non preces, non pollicitationes ullas audituros amplius. Quiescentibus aliis, Rubertus Picens, qui honestissimum in castris ducebat ordinem, Genuensium conditionibus adhuc studens, non prius omnia turbare destitit, quam ad Zeni præsentiam accersitus consensu omnium in vincula sit dejectus. Is biduo post sceleris convictus, Venetiis

*Genuenses  
deditioem  
faciunt.*